



Iacobus Millerus Tiguri natus & educatus fuit. Hic magna corporis fortitudine predictus, atque primò Rhodolphi Habsburgensis hostis fuit. Accidit quandoque ut in campo à Rhodolpho adueniente conspiceretur. Itaque subito bracca deposita sub arbore proxima naturæ opus perfecit. Cum autem comitis ministri accederent, atq; eum transfodere uellent, petiit, ut tantum ei concederetur uita, donec braccam reduceret. Id quū comes promisisset, iurauit se nunquam eam reducendum. Eo astu Rhodolphus deceptus ei ignouit, atque inter suos equites recepit. Itaque Rhodolphi comitis Habsburgensis pugnacissimi casta lequens, egregiam laudem suæ uirtutis adeptus est. Contigit autem aliquando, cum comes à Regensberg cum Rhodolpho bellum gereret, atque pugna committeretur, ut Rhodolphus ira accensus in densissimum hostium agmen irrueret, atque undique circumdaretur. Id cum Iacobus conspexisset, illico sibi ferro uiam aperuit, atque Rhodolphum uulneratum ex maximo periculo liberavit, atque suo equo impositum ad maiorem exercitum reduxit. Postea hostem aggressus fortiter pugnando Rhodolpho uictoriam impetravit.